



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

279. An Confessores regulares possint dispensare cum his qui in primo gradu affinitatis contraxerunt. Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. res. 27.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

ita sit, vel Episcopi in dicto casu dispensare possunt privilegio ipsis concessio post reservationem vniuersalem hunc etiam casum includentem; & hoc nullus admittit; quia de tam vniuersali reservatione, nec vilo iure, nec consuetudine constat, sicut nec de privilegio. Restat ergo, vt dicamus id posse Episcopos: quia ex modo reservationis rationi congruo constat, id Episcopis mansisse residuum ex antiquo iure, quod habebant, dispensandi in omnibus votis per suas Dioceses, sicut Pontifex: ac proinde potius per accidens esse, quod tam ampla potestate non amplius gaudeant, quam quod hæc tantilla ipsis adhuc conueniat. Quod autem dicit, quod votum eiusmodi sit verè reseruatium, non video, qua ratione id intelligat: vel enim vult reseruatium esse secundum speciem, & hoc non potest dici: quia sic votum eiusdem matetie factum ex metu leui per iniuriam incusso esset reseruatium, quia est eiusdem speciei, & tamen non est reseruatium; vel intelligit esse verè reseruatium in individuo, & secundum individuum, & hoc manifestè falsum est, quia si sic reseruatium esset, in eo non dispensaret Episcopus. Dispensat autem non potestate delegata, sed quam delegare possit, ac proinde ordinaria, cum sit perpetuè annexa dignitati Episcopali, idque non ex privilegio, iuri etiam incluso, per quod scilicet id ipsis concederetur, quod iure non poterant: sed iure ordinario, per quod ipsis manet dicta potestas, quamdiu non fuerit ipsis legitime sublata, circa similes casus. Quæ cum ita se habeant, non video, quare Ordines mendicantes per sua privilegia valentes dispensare in votis sicut Diocesanus, in hoc vel simili casu id non possint. Hucvique Croulers.

4. Sed vt verum fatear, sententia negatiua Sanchez, quam ipse impugnat, est communis inter Doctores, & ita docet Henriquez *lib. 9. de penitent. c. 14. num. 7. litt. P.* Rodriguez in *Bull. Cruciatæ. §. 9. num. 118. & de Questionibus Regular. tom. 1. quæst. 41. art. 9. & 9. 63. art. 6.* & Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto. cap. 16. num. 18. & 19.* Et ratio est, quia Religiosi habentes privilegium dispensandi in casibus Episcopalis minime possunt dispensare in casibus, qui non iure ordinario, sed ratione vrgentis necessitatis competunt Episcopis: quia hi non dicuntur simpliciter casus Episcopales sed verè ad Pontificem pertinent; & solum ex quadam iuris interpretatione Episcopis censentur permitti. Et hanc sententiam nouissimè docet etiam Fagundez in *Præcepta Decalogi. tom. 1. lib. 2. c. 45. num. 15.*

#### RESOL. CCLXXXVIII.

*An votum castitatis emissum ante contractum matrimonium possit commutari virtute privilegiorum, quibus fruuntur Regulares, vt vouens possit petere debitum?*

*Et quid super hoc quoad Episcopum, Bullam Cruciatæ & Iubilæum?*

*Et docetur, quod dispensatio ad petendum debitum potest fieri extra Sacramentum Penitentia, & in casu necessitatis in absentia. Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 16.*

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. Refol. 76. §. Eandem, & in R. 13. §. vlt. in fine. infra ex Ref. 280. lege §. penult.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Leander de *Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 117.* vbi querens, an votum castitatis emissum ante contractum matrimonium, possit virtute Bullæ, aut Iubilæi commutari à confessario, vt possit vouens petere debitum? Et respondet non posse virtute Bullæ aut Iubilæi, aut privilegiorum Religionis. Quia cum castitatis votum, sit Pontifici reseruatium, eidem ipsius obligatio quæ, est ne coniugis debitum petatur, reseruatæ est. Ita Leander.

2. Verum ego libenter ipsi adhareo quoad Bullam Cruciatæ, & Iubilæum, vt alibi docui, & docet Escobar in *theol. moral. tom. 1. lib. 7. scilicet. 2. c. 34. Prob. 87. numer. 724.* Magister Gallego in *Bull. Cruciatæ. cap. 9. claus. 9. part. 3. s. 1. dub. 169.* & alii. Tamen prædicti sunt dissentio quoad Privilegia Regularia, & ita docet Andreas Mendo in *Bull. Cruciatæ. disp. 26. cap. 13. num. 120.* vbi me citato sic ait. Inferur duodocimæ votum castitatis emissum ante contractum matrimonium, non posse commutari virtute Bullæ, vt possit vouens petere debitum. Ratio, quia illud votum fuit absolutum omnimodæ castitatis, & perfectum, quare nulla eius obligationis pars potest commutari, nisi ab eo, cui est tota obligatio reseruatæ, nempe Pontifici, vel ex eius indulto id specialiter concedente. Nec obstat, Episcopum posse dispensare in eo voto ad petendum debitum. Nam vt omnes prædicti Authores docent, id quod Episcopi ex iure speciali, aut ex consuetudine non vero id prouenit ex natura reservationis, per Bullam autem commutari possunt ea vota, in quibus potest Episcopus dispensare, non ex iure speciali, aut consuetudine, sed attenda reservationis natura.

3. Falsò autem asserit Leander, non posse commutationem prædictam fieri, non solum per Bullam, aut Iubilæum, sed nec per privilegia Religionum. Etenim per ea privilegia potest dispensari (& à fortiori commutari) cum his, qui post emissum votum simplex castitatis, matrimonium contraxerunt ad hoc vt debitum petere valeant, admonito eo, cum quo dispensatur, vt votum seruet, si coniugis sit superstes. Sic concessit Pius V. Franciscanis die 26. Octobris anno 1569. Quo privilegio fruuntur omnes Religiones communicantes in cæterarum privilegiis. Et in nostra Societate eo vti queunt omnes confessarii, quibus Prouinciales id commiserint, vt habeatur in Compendio privilegiorum Societatis, verbo *dispensatio* §. 9. Ita Mendo, cui adde Martin de S. Ioseph in *Regul. Sancti Francis part. 2. dispensatio* §. 12. & 14. vbi me citato putat, quod hæc dispensatio ad petendum debitum potest fieri extra Sacramentum Penitentia, & in casu necessitatis in absentia per scriptum.

#### RESOL. CCLXXXIX.

*An Confessores Regulares possint dispensare cum his, qui in primo gradu affinitatis contraxerunt? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Ref. 27.*

§. 1. **A**D hoc dubium sic respondet Brunus de *privilegiis Regular. part. 1. tract. 5. cap. 5. prop. 3.* vbi Aduerte pro huius propositionis corollario, Roffensis virum magnæ Sanctitatis & doctrinæ, qui pro fide Catholica gladiis impiorum occubuit, in libello qui inscribitur *De causa Matrimonij*, in principio affirmare Leonem X. Augustinianis per totum Orbem existentibus concessisse per Bullam, vt cum his qui in primo gradu affinitatis scienter, vel ignoranter contraxerint, modo notorium id non fuerit; neque in iudicium productum, dispensare valeant, vt de nouo contrahant, & in eodem item matrimonio contracto maneat, pro etiam legitima. Hæc Roffensis; de quo privilegio non audeam dubitare propter viri eminentis Sanctitatis, & doctrinæ testimonium.

2. Nec obstat primò quod non sit in vsu, quoniam præter quod non constat de hoc non vsu, cum versetur circa occulta, quæ solis Confessario, & penitentia sunt nota, probauimus in tractatu de privilegiis in communi, privilegia, non amitti per non usum.

# De Dubiis Regular. Res CCLXXX. &c. 187

Non obstat. Secundo; quod Episcopi ea facilitate carcant, cum constat Regulares in quibusdam casibus, privilegii aliquibus potiri, quibus Episcopi minime gaudent, ut in casu percussio Clerici; & aliis. Ita Bruno.

3. Sed de hoc privilegio nimis debito, Et quis scit an fuerit concessum viue vocis oraculo? Et quidem si Pontifex concedit Commissario Cruciate privilegium dispensandi in primo, & secundo gradu affinitatis cum tantis limitationibus, & præcipue vt vnus ex conjugibus bona fide, & impedimentu ignarus contraxerit, difficile videtur concessisse tale privilegium cuiuscumque confessorio Regulari absolute, etiam si scierit, vel ignoranter contraxerit & si hoc admitteretur, ad nihilum deleriret Sacra Pœnitentiaria Romana, nam vnusquisque haberet præmanibus remedium, nempe adeundi pro dispensatione Confessarium Regularem ad quam tamen obtinendam Sacra Pœnitentiaria tam maturè procedit; vt omnes scimus. Et Sanctissimus Dominus noster Innocentius X. in suo Pontificatu ferè semper negauit talem dispensationem. Non est igitur admittendum Regulares habuisse, nec habere tale privilegium, & idò caueant ab opinione Patris Bruni.

## RESOL. CCLXXX.

An Confessarij Regulares virtute suorum privilegiorum possint dispensare cum secularibus ad petendum debitum, si à suis Superioribus ad hoc minime deputati fuerint? Et notatur, quod Prouinciales concedentes alicui subdito licentiam vt possit dispensare cum impeditis ad petendum debitum ab incestu vel voto, non possunt dicitam licentiam reuocare absque iusta causa. Et an hæc licentia non expiret, quamuis Prouincialis, qui eam concesserit, moriatur? Et an hæc dispensatio ad petendum debitum possit fieri extra Sacramentum, & urgente necessitate in absentia per scriptum? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 14.

§. 1. Videtur affirmatiuè respondendum ex Peregrino in compend. nostrorum privilegiorum pari. 1. tit. Dispensatio §. 8. vbi sic ait: Confessarij nostræ Congregationis, possunt in foro conscientie dispensare cum secularibus inter conjugatos, quorum alter eorum cum alterius consanguinea adulterium perpetravit, ad petendum debitum conjugale. Ita etiam docet Sayrus in clauis Regia lib. 6. cap. 11. n. 98. Vnde Ioannes Suarez in Enchiridio casuum conscientie lib. 5. ver. debitum conjugale, §. incestuosus coniux, sic asserit. Regulares dispensare possunt cum incestuoso ad petendum debitum, si sint deputati à Prouincialibus. Verum alij hanc limitationem non referunt, sed absolute docent concessum fuisse Confessariis Ordinum Minorum, & Prædicatorum, vt absque alia facultate possint in dicto casu dispensare. Ita ille, qui citat Peregrinum in compendio nostrorum privilegiorum.

2. Sed ego contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, vt patet clarissime ex verbis privilegiorum, quæ hanc facultatem tantum concedunt Confessariis deputatis ad hoc à Prouincialibus, & ideo docent hanc sententiam omnes, qui super privilegia Regularium diligentissime scripserunt, vt Rodriguez tom. 1. q. 63. art. 1. Portel in dubiis Regular. ver. Abbas, n. 5. & verb. Confessor erga seculares, n. 18. & 23. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 9. concl. 1. & 2. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 43. n. 10. Hieronymus Rodriguez in compend. qq. Regular. ref. 104. n. 15. Rebelius pari. 2. lib. 3. quest. 18. num. 16 & Villalobos in summa. tom. 1. tract. 13. diff. 5. n. 5. & diff. 52. num. 10.

vbi sic asserit. Tuede dispensar para pedir el debito el Comissario de la Cruzada, conforme al tenor de su comission, y puede tambien dispensar el Obispo, como viene Soto, y esta en uso: pueden lo mismo los confesores de nuestra Orden, y los que gozan de nuestros privilegios, como tengan comission, para ello de sus Prouinciales, y no espira esta comission, aunque muera el Prouincial, o acabe su officio. Ita ille.

3. Nec Peregrinus, Sayrus, & alij faciunt contra nos, nam fateor magis clare loqui debuisse: attamen, ipsi, vt patet, præbent Confessariis hanc facultatem iuxta privilegia Pij V. Iulij II. &c. Sed dicti Pontifices facultatem concedunt per dicta privilegia Confessariis à Prouincialibus ad hoc specialiter deputatis; ergo etiam secundum Peregrinum, & alios id absolute efficere minime possunt Regulares, nisi à Superioribus ad id fuerint designati. Igitur explicandus est Peregrinus, & alij secundum tenorem privilegiorum, quæ citant; aliter nec sunt audiendi, nec sequendi, vt perperam illos intellexit, & sequutus est Suarez vbi supra.

4. Notandum est tamen, quod post hæc scripta inueni, Molfesum in summ. tom. 1. tract. 4. c. 12. n. 42. quem sequitur Leone de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 10. num. 125. docere Confessarios Societatis Iesv habere hanc facultatem ab A. R. P. Generali; & citat pro hac sententia Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 5. disp. 16. non. 1. qui tamen non loquitur in casu nostro, sed in dispensatione votorum, in quo casu etiam loquitur Privilegium nostræ Religionis, quod adducit Molfesius, qui confundit hos duos casus multum inter se diuersos, ratione diuersitatis privilegiorum Summorum Pontificum. Nam in Privilegio Pij V. concedentis dispensationem in incestu, habetur, quod hæc auctoritas concedatur à Prouinciali viris Religiosis, ac doctis, vnde non potest committi omnibus indiscriminatim, & absolute. Et ideo mihi constat, quod in Societate Iesv hæc facultas committitur à Prouinciali particularibus Confessariis, & non omnibus.

5. Notandum est tamen hic obiter cum Portel vbi supra in dubiis Regular. ver. Prælati potestas, n. 20. quod Prouinciales concedentes alicui subdito licentiam, vt possit dispensare cum impeditis ad petendum debitum, ab incestu, vel voto; non possunt datam licentiam reuocare absque iusta causa, faciunt enim iniuriam illi qui habebat. Ita Portel, qui citat etiam Rodriguez. Nota etiam, vt alibi diximus cum dicto Portel in addit. ad dubia Regular. ver. Confessor dispensans, n. 13. & 14. quod hæc dispensatio ad petendum debitum, potest fieri extra Sacramentum, & urgente necessitate in absentia per scriptum, quod est valde notandum.

## RESOL. CCLXXXI.

An Regulares possint dispensare in impedimento affinitatis ad petendum debitum inter conjugatos, & hoc virtute privilegiorum præcipue Pij V. Et an hoc sit reuocatum per particularem Bullam Urbani VIII. anno 1631. Et an Regulares debeant esse Confessores deputati ad talem dispensationem faciendam per Superiorem Monasterii? Et an dicta dispensatio debeat fieri in Sacramento Confessionis, & non extra, & in domibus & Ecclesiis Religionis, & non extra? Ex p. 6. tr. 8. & Milc. 3. Refol. 32.

§. 1. Alibi affirmatiuam sententiam docui, & tenent Miranda in man. tom. 1. quest. 47. art. 1. Portel

Sup. hoc in Resol. §. vlt. cursum ad mediu, ver. & motuo.

Sup hac dictione contrariu lege supra ex Resol. §. vlt. post mediu, ver. & in nostra, & latius & melius in tom. 3. tr. 2. Ref. 76. §. eandem. & seq. & in alij Ref. eius not.

Alibi in Ref. seq. §. vlt. post mediu, à ver. secunda conditio, & in aliis eius not.

Alibi in Ref. præterita, & in aliis eius prima not.